



00

G. q. 234.

ORATIO  
PRO DILIGEN-  
ter excolendis artium  
studijs:

SCRIPTA  
A  
IOANNE ZANGER  
Juniore Brunovicensi.



ANNO  
cl<sup>o</sup>. 1<sup>o</sup>. Lxxv.

ОИТАЮ  
ИЗРИДОЯ  
ПРИГРАММА

AD LECTOREM.

Quæ post seductæ tristissima fata parentis,  
Parva super diaæ portio lucis erat,  
Ingenuas peperit fatis felicibus artes  
Successuq; ortum nobiliore dedit.  
Addita cura sagax, gnaræq; industria mentis,  
Ornauit studio dona relicta suo.  
Inventisq; aliud semper novus addidit autor  
Ulterius nec quo progrederantur habent.  
Quisquis ob id rigidis solitus præcellere brutis,  
AEquales aliqua vincere parte studet :  
Ille per ingenuas doctum caput exerat artes,  
Suscipiatq; pij dulce laboris onus.  
Sentiet exacti cum fœnore grata laboris  
Præmia, non ullis anteferenda bonis.  
Dulcia siue cupis, seu commoda quæris honesta,  
Hic tibi, crede mihi, reddet utruncq; labor.  
Hæc quia Zangerus scripto complectitur isto,  
Vtens ingenij dexteritate sui :  
Quæso legas, placeatq; tibi tam promta voluntas,  
Sic scripto minime censor iniquus eris.

Henricus Meibomius  
Lemgoviensis.

# AMPLISSIMIS ET

CLARISSIMIS VIRIS, GENERIS  
NOBILITATE, VIRTUTE, ET ERUDI-  
TIONE PRAESTANTIBVS HENRICO,  
BURCHARDO, CONRADO, ET  
HILDEBRANDO A SALDER,  
Patronis ac Dominis suis, omni  
observantia colendis.

S.



RATIVNCVLAM HANC PRO  
artibus liberalibus diligenter excolendis, vobis, viri  
Amplissimi Clariſſimiq; duas potissimum ob causas  
dedicare volui: primum, ut intelligeretis, me aliquo  
modo vestris officijs atq; beneficijs responsurum esse:  
quibus etſi non satis hac dedicatione respondere poſe-  
sum: volui tamen meam aliquam erga vos gratitudi-  
nem omnibus esse quam notissimam. Cū enim vi-  
derem vos hoc enī, ut studia mea promoveantur, non potui non facere,  
quīm aliquod indicium gratiae mentis de me extaret. Gratitudo enim, ut Oran-  
tor pro Plancio inquit, est virtus, non ſolum maxima, ſed etiam mater vir-  
tutum omnium reliquarum. Altera cauſa eſt, quod vestra familia p̄cā-  
teris habet viros multos p̄claris animi virtutibus & varijs donis excellen-  
tes. Ut enim taceam reliquas virtutes omnes, eſt in vobis quoq; quam cum  
paucis communem habetis, pia voluntas & conatus, artes, & p̄ſertim  
doctrinam de Deo, puram & incorruptam ad posteros transmittendi, neq;  
hoc ſolum, ſed etiam, quod paucos iam facere videmus, ut de ſuo aliiquid con-  
tribuant ad conſeruandam doctrinam, & alendos eos, quorum opera & mi-  
nisterio diutius apud posteros retineri poſſit, id vos ita abunde & liberali-  
ter p̄ſtare, teſtes ſunt multi, ut nemo largius promovere hoc hominum ge-  
nus poſſit & liberalius iuvare, qui conſervandæ doctrinæ p̄ſunt. Quomodo

A 2

igitur

/ in


Igitur satē cumulate laudem hanc vestram virtutem inter omnes splendidissimam non video, ex qua in posteros tanquam ex perenni quodam fonte plurimae utilitates promanabunt. Hoc enim vestro pio studio & magno animo in promovendis Musarum candidatis, multorum diligentiam excitatis in discendis Christianæ doctrinæ, & omnium ingenuarum artium fundamentis, quorum opera deinceps sanitas doctrinæ non infeliciter ad posteros etiam propagari poterit. Ab hoc tam laudabili proposito ne declinetis, sed ut Scholis Ecclesiæq; benefacere pergatis, Christus ipse vos hortatur Matt: 10. cum inquit: Qui dederit potum aquæ frigidæ uni ex minimis propter doctrinam, non perdet mercedem suam. Et si autem non ignorō hunc meum laborem multorum reprehensionem incursum, quod insans & multarum rerum ruditis edere in publicum hoc scriptum volui, non usus excusatione etatis: tamen cum ad suscipiendum hunc laborem iij me sæpe hortarentur, quibus scio studiorum meorum salutem curæ esse, facere aliter non potui, quin ijs hac in re morem gererem. Quod reliquum est, vos cum tota familia Deo Opt: Max: commendabo: & ut dedicationem hanc æqui boniq; consulatis, maximopere rogo. Benè & feliciter valete. Brunopoli pridie Idus Junij. Anno CIC. IC. LXXV.

Spect: Nobilit:  
vestre

observantiss:

Ioannes Zangerus Junior  
Brunovicensis.

# Oratio.



E R S A E P E M I H I C O G I-  
tanti, quām perversa sint multorum de-  
reb. honestissimis judicia, solet in men-  
tem venire, de nostris studijs, quām  
sordidē, quāmq; flagitiosē multi senti-  
ant, & loquantur, ut mirum sit in tanta  
judiciorum perversitate esse, qui studia  
colant, & artium candidatis honestē cu-  
piant. Multi artes non sua dignitate metiuntur, sed eas tan-  
tūm sectandas putant, quibus res augeantur: Alij inscitia  
potius, quām quōd ita verē sentiant, liberales artes negli-  
gendas judicant: cuius judicij tanta perversitate cum sāpe  
fiat, ut studia literarū non ea diligentia, qua meritō debe-  
bant, tractentur, pro diligenter excolendis artibus liberali-  
bus quādam collegi, quibus tota hæc res redderetur quām  
commendatissima, quæq; pro declaranda rei dignitate ne-  
cessaria viderentur futura. Atq; ut de artium origine, quan-  
tūm quidem p nobis hac in re facere videbitur, paucis diffra-  
mus: Cūm Adam tristissimo miserandoq; lapsu se posterosq;  
omnes in tantam miseriā deduxisset, judicium rationis  
ita corruptum & prostratum est, vt homo per id in tota vi<sup>a</sup> fa  
sua verius humili serpat, quām rectē incedat. Remanserunt  
autem vestigia quādam divinæ lucis in mentibus hominum,  
quibus longo rerum usū varioq; successu paulatim rursus e-  
mergentibus, & multiplici temporis progressu illustratis, De-  
us Opt: Max: præclara ingenia excitavit, quorum auxilio ex  
illis reliquijs varia artium genera sunt extructa, quibus cum  
in promovendis suis rebus feliciter homines uterentur, quas  
sordidas & manuarias dicimus, tum quæ honestarum actio-  
num in hac civili vitæ consuetudine maximè necessariæ  
præcepta darent, societatem hominum legum vinculis con-

tinerent, fessis infirmisq; corporibus vario pharmacorum ge-  
nere mederentur, naturam corporum naturalium, rerum mo-  
tum, magnitudines terræ, & distantias corporum cœlestium  
& alias res à virtute non alienas demonstrarent, quas, quod  
homine libero dignæ sint, liberales & ingenuas vocamus. Eas  
ipsas, quod initio languidius essent traditæ, reperti sunt o-  
mni tempore, qui rectius excoherent, easque cultiores ad o-  
mnem posteritatem transmitterent: & ne quid artium boni-  
tati quoquo modo deesset, multa excellentissima ingenia no-  
stro seculo exorta sunt, quæ, quantum quidem præstare po-  
terant, artes in vitam revocarunt, sordes eluerunt, falsitatem,  
confusionem, & ταυτολογίαν sustulerunt, & lautiores ad o-  
mnem posteritatem transmiserunt. Ex quorum numero me-  
ritò & optimo jure haberi debet Petrus Ramus, vir propè  
divino ingenio præditus, qui ita præcipuas artes de puncto in  
punctum tradidit, expolivit, acuit, & à rubiginibus libera-  
vit, ut nihil ferè sit, quod de liberalium artium vel obscuri-  
tate, vel difficultate studiosa juventus ullo modo possit con-  
queri. Si quis igitur voluerit ea in re, qua bestijs homines  
præstant, hominibus ipsis antecellere, habeat sibi omnino  
persuassimum, nullum se laborem magis pium, aut ma-  
jori cum fructu voluptateque conjunctum suscipere posse,  
quam si liberales artes non tantum suspiciat, quod & ipsum  
magnum quiddam est, sed etiam omnibus viribus enitatur,  
ut earum disciplinis instructus, scientiæ suavitatem ipse at-  
tingat & assequatur. Is enim divinis quibusdam bonis or-  
natus videtur, qui omnem voluptatem, qui ludos, qui con-  
vivia & æqualium studia respuit, ne possit à suauissimo fa-  
crosancto Musarum commercio averti. Etenim nulla res  
in tota vita tantopere est peruestiganda, aut nulla scientia vel  
jucundior, vel utilior, vel hominis providentia dignior, q; nosse honestas & ingenuas artes. Hæ enim secundas res or-  
nant, adversis perfugium ac solatium præbent: delectant  
domi, non impediunt foris: pernoctant nobiscum, peregrin-  
rantur, rusticantur: ac nos in amplissimo gradu dignitatis  
locant.

locant. Has esse assumenda\$ quis dubitet? cum quòd sit in  
his aliquid dignum, cur assumantur, tum quòd constent ex  
cognitione & contineant quiddam in se ratione & via consti-  
tutum. Sed quis est tam perversis afflictisq; & perditis mo-  
ribus, qui divinam illam mentis vim, qua intelligimus, rati-  
ocinamur, cognoscimus, reminiscimur, providemus, & pro-  
ximè cum Deo conjungimur, scire nolit? cùm in hoc facti,  
ideo tanta sapientiæ luce circumfusi, idcirco anima sapien-  
te, quasi divinæ particula auræ imbuti & induti simus, non ut  
ad τὸν οὐρανὸν & fugientia hujus vitæ bona, quæ sensus jucun-  
dè movent, & cum sensu fugiunt ac commoriuntur, animos  
demittamus, sed ut divina mentis animiç vis, artium libe-  
ralium ministerio, Deum autorem & parentem inquirat di-  
scatq; nosse, eiç agnito omni contentione studioç pareat:  
denique delubrum veræ pietatis in intimis cordis recessibus  
religiosè statuat consecratq;. Postremò cùm artes tantam  
habeant majestatem atq; dignitatem, ut Xenophon eas fon-  
tes bonorum appellat, omne studium, operam, cogitationem,  
mentem deniq; omnem, in hisce artibus descendis ac cogno-  
scendis figere oportet. Ideò autem artes è radijs divinæ  
mentis extructæ sunt, & humano generi patefactæ, ut totam  
hanc vitam regerent & gubernarent, & magistræ esent mo-  
rum & disciplinæ, à quibus pravitatis scelerumq; nostrorum  
omnis peteretur medicina, quæç vitia radicitus extraherent  
& animos ad accipiendas honestatis cultusq; severioris leges  
præpararent. Et certè literæ vitæ laudabiliter, & cum vir-  
tute traducendæ non modò occasionem, verùm etiam cau-  
sam, neq; causam tantùm, sed etiam necessitatem afferunt.  
Videtur igitur mihi Diodorus ille Siculus eleganter dixisse:  
Naturam quidem vitæ spiritusq; nostri causam esse, sed à li-  
terarum studijs benè beatèq; vivendi præcepta duci. Quod &  
Alexander Magnus suo comprobavit testimonio, qui cum ex  
eo quæreretur, utrum majore animi benevolentia complectet  
ur, Philippum patrem, an Aristotelem præceptorem, re-  
spondit, Se præceptorem nihilominus, quam patrem diligē-  
re,

1 maius hic scripto  
spacium

re, quod à patre quidem vitam haberet, à præceptore vero  
constanter honestèq; vivendi rationem fuisset edoctus. Equi-  
dem, cùm sapiens ille omnium rerum conditor atq; guberna-  
tor mente provideret & quasi prospiceret, quanta esset in ge-  
nere humano futura barbaries, si non humanioribus artibus  
hominum mentes informarentur, excitavit artes, mandatoq;  
severissimo nos obligavit, ut ab his omnia adjumenta benè  
beatèq; vivendi peteremus. Ut autem in alijs omnibus, sic  
etiam in discendis honestis & ingenuis artibus summam di-  
lignantiam Deus requirit. Maledictus enim omnis, qui facit  
suum opus fraudulenter. Nemo igitur diligit somnum, ne  
egestate opprimatur. Quis est enim, qui ignavia aut ociosa  
vita aliquid laude dignum effecerit, aut sibi gloriam, diviti-  
as, & opes comparaverit? Multi sanè repentiuntur, quibus  
in juventute ignavis omnes res feliciter & bellè ceciderunt,  
in senectute, in summam ignominiam & paupertatem incur-  
rerunt, & quidem meritò:

Nam qui desidiam, luxumq; sequetur inertem,  
Dum fugit oppositos incauta mente labores,  
Turpis inopsq; simul miserabile transiget ævum.  
Quapropter non est indulgendum ocio, sed officium cuiq; su-  
um quām diligentissimè faciendum. Sua autem rectè non  
possunt agere, qui artium studia minus diligenter colunt.  
Tantus est autem in nobis cognitionis & doctrinæ amor in-  
natus, & insita quædam scientiæ cupiditas, ut ad eas res ho-  
minum natura nullo emolumento invitata rapiatur, & ipsis  
in rebus quę discuntur & cognoscuntur, quædam insint invi-  
tamenta, quibus ad discendum cognoscendumq; movemur.  
Parvi (teste Cicerone) primo ortu sic jacent, tanq; omnino  
sint sine animo: cùm autem paulum firmitatis accesserit &  
animo utuntur & sensibus, conitunturq; ut se se erigant, &  
manibus utuntur, ac eos agnoscent, à quibus educantur. De-  
inde æqualibus delectantur, libenterq; se cum his congregant  
dantq; se ad ludendum, fabellarumq; auditione ducuntur,  
deq; eo, quod ipsis superat, alijs gratificari volunt, aduer-  
tuntq;

untq; quæ domi fiunt curiosius, capiuntq; commentari &  
discere aliquid, & eorum, quos vident, volunt non ignorare  
nomina: quibusq; rebus cum æqualibus decertant, si vin-  
cunt, efferunt se lætitia, vieti debilitantur, animosq; demit-  
tunt. Vnde perspicitur, quod ita naturæ hominis vis gene-  
rata sit, ut ad omnem virtutem percipiendam facta videa-  
tur, ob eamq; causam parvi virtutum simulacris, quarum in  
se habent semina, sine doctrina moventur. Sunt enim pri-  
ma elementa naturæ, quibus auctis, virtutis quasi carmen ef-  
ficitur, cumq; ita nati factiq; simus, ut & agendi aliquid, &  
diligendi aliquos, & liberalitatis, & referendæ gratiæ princi-  
pia in nobis contineremus, atq; ad scientiam, prudentiam,  
fortitudinemq; aptos animos haberemus, à contrarijs rebus  
alienos, non sine causa eas in pueris virtutum quasi scintil-  
lulas videmus, è quibus accendi philosophi ratio debet, ut  
eam quasi Deum ducem subsequens ad naturæ perveniat ex-  
tremum. Videmus multos ingenuis artibus ita delectari, ut  
nec valetudinis, nec rei familiaris rationem habeant. Ipsum  
enim hominem natura non solùm celeritate mentis ornavit,  
sed etiam sensus, qui in capite mirificè ad usus necessarios &  
facti & collocati sunt, tanquam satellites ac nuntios attribu-  
it, ut mens discendo aleretur, & cogitando semper aliquid in-  
quireret aut ageret, videndiq; & audiendi delectatione du-  
ceretur. Erit igitur turpe, si pijs istis naturæ desiderijs non  
satisficerimus, & in hoc pro viribus elaboraverimus, ut sci-  
entiæ cognitionisq; fructibus nos expleamus, & quæ videre,  
audire & discere vi quadam naturæ avemus, ea discere cura  
studioq; non voluerimus. Ac veluti si quos voluptates blan-  
dissimæ dominæ totos à virtute detorquent, ut se vitiorum  
illecebris, & cupiditatum lenocinijs dedant, hi nihil aliud aut  
cogitare possunt, aut agere, nisi ut delicato corpori benè sit,  
& gulæ ventrisq; voluptatibus ipsi se expleant: Sic castissi-  
mis animi satisfacere desiderijs in parandis ingenij bonis ut  
honestum putabimus, ita maximè etiam necessarium, & fru-  
ctuosum, quam si turpes corporis sectemur voluptates. Si qui-  
dem eæ ubi primùm advenerint fucata specie blandiuntur,  
ubi abierint dolorem relinquunt & pœnitentiam. Ea autem,

B

quæ

15

ius

quæ ex artibus sola capitur voluptas, maximam dulcissimo-  
cum fructu conjunctam præ se fert suavitatem, ut ex bonarū  
literatum studijs honores amplissimos, mediocres opes, di-  
gnitatem deniq; quam habuerunt, viri magni sint consecuti.  
Sed quia neq; de D E o, neq; de rebus ad vitam necessa-  
rijs homines eruditri recte possunt, nisi conserventur artium  
studia, & sint qui doceant alios, sint item qui discant, excitat  
Deus semper aliqua ingenia, quibus sua dona distribuit, ut  
discant artes generi humano utiles, quas deinde vult prælegi  
alijs & explicari. Quia verò Deus in animantibus etiam bru-  
tis varia virtutum & vitiorum simulacra sparsit, ut essent ni-  
mirum picturæ, quæ nos ad virtutem excitarent, & à vitijs  
dehortarentur, vtile sanè fuerit considerare quid sit, quod in  
brutis nostris nos officij commonefaciat. Atq; ut ex multis  
unum duntaxat eligamus, singularis in formicis elucet arti-  
ficiis industria, qui in hoc parvo animali partes nostri mune-  
ris nobis aspiciendas pposuit. Aestivo enim tempore formi-  
cæ, cum messis imminet, rura frequentant, prata pererrant,  
arbores conscendunt, frumenta colligunt, & comportant,  
atq; in futuram hyemem recondunt, onera sustinent majora,  
quām pro corporis conditione ferre possunt, atq; adeò perti-  
naciter laborant, ut earum pedibus silices attritos videamus,  
& in opere semitam factam: plena luna totis noctibus inten-  
tæ sunt labori, sed circa conjunctionem cessant aliquot no-  
ctibus, ut vires recreant, gravatis & onere defessis succur-  
runt, in commune conferunt omnia, grana arrodunt, ne in-  
fruges exeant, madefacta imbribus ad solem siccant, ne pu-  
trescant: certè prudenter omnia, etsi nec principem, nec pre-  
fectum, nec ducem habent. Insita est enim quædam vis ani-  
malculi naturæ, qua velut dicitur ad res tantas, tanta cura  
conficiendas tantoq; studio. Hoc exemplum studiosi ado-  
lescentes imitari debent ut virtutem assequantur, & senectu-  
tem quietam ducant. Ut enim formicæ commodo æstatis  
tempore colligunt, & in futuram hyemem sibi prospiciunt,  
ne inedia miserè pereant: Sic non fuerit ineptum in prima  
adolescentia, dum vires animique finunt, eruditio nem com-  
parare. Quod si quis sui munericis partes, exemplo formica-  
rum

annis

rum, studiosè peregerit, non dubium est, quin arduum vir-  
tutis collem superet aliquando, & sentiat profectò onus non  
esse, quod cum voluptate ferat. Convenit igitur nos esse pa-  
tientes ac tolerantes, cùm studijs literarum opem feramus  
amicis, cœtus hominum multiplici rerum scientia regamus,  
& societatem conservemus: quæ quidem bona omnium ma-  
xima nullis mortalium citra laborem, dantur, vnde elegan-  
ter Phocylides canit:

Oὐδὲπ ἄνδρις καμάτης πέλεθ ἀνθεράσιρ ἐυπετές οἴρημ

Oὐδὲ ἀντοῖς μακάρεωι, πόνοσδι ἀρεπτὸν μέγ' ὀφέλλε.

Quocirca rectissimè suis studijs consulunt, qui labores im-  
pendere non recusant, quòd hi neq; perpetui sint, neq; mole-  
sti, si paululum assueverimus, imò etiam jucundi, si planè ijs  
defuncti fuerimus. Turpe verò erit, in juvenili ætate volu-  
ptatibus frui, in senectute in summam paupertatem incur-  
rere. Certè si tam studiosé literis incumberemus, quam ve-  
teres illi, qui maximo animi ardore literas didicerunt, ma-  
gnum quid efficeremus. Pythagoras perfectissimum opus  
sapientiæ à juventa pariter omnis honestatis percipiendæ cu-  
piditatem ingressus A Egyptum petijt, ubi literis gentis ejus  
assuefactus, præteriti avi sacerdotum commentarios scruta-  
tus, innumerabilium seculorum observationes cognovit. In-  
de ad Persas profectus, Magorum exactissimæ prudentiæ se-  
formandum tradidit, à quib. siderum motus, cursusq; stella-  
rum, & uniuscujusq; rei proprietatem & effectum benignissi-  
mè demonstratum docili animo sumpsit. Cretam deinde &  
Lacedemona navigavit, quarum legibus & moribus inspe-  
ctis ad Olympicum certamen descendit, cùmq; multiplicis  
scientiæ maximam toti Graciæ admirationem ac specimen  
exhibuisset, quo cognomine censeretur interrogatus, non se  
sapientem (jam enim illud septem sapientes viri occupave-  
rant) sed amatorem sapientiæ, hoc est, philosophum, edi-  
dit. Solon ille nobilis Atheniensium Legislator, quanta fla-  
grauerit industria, cum versibus ipse complexus est, quibus  
se quotidiè significabat aliquid addiscentem senescere, tum  
supremo vitæ die confirmavit, quòd assidentibus amicis, &  
quadam de re inter sc conferentibus, fatis jam pressum caput

*inventæ*

erexit, interrogatusq; quapropter id fecisset, ut cum istud, quicquid est, de quo disputatis, percepero, moriar. Migrasset profecto ex hominibus inertia, si eo animo vitam ingredierentur, quo eam Solon egressus est. Demosthenes (ut Valerius Max: testatur) cuius commemorato nomine, maxime eloquentiae consummatio audientis animo oboritur, cum inter initia inventæ artis, quam affectabat, primam literam dicere non posset, oris sui vitium tanto studio expugnāit, ut ea à nullo expressius referretur. Deinde propter nimiam existitatem acerbam auditu vocem suam exercitatione continua ad maturum & gratum auribus sonum perduxit. Lateris etiam firmitate defectus, quas corporis habitus vires negaverat, à labore mutuatus. Multos enim versus uno impetu spiritus complectebatur, eosq; adversa loca celeri gradu scandens, pronunciabat: Ac vadosis littoribus insistens declamationes fluctuum fragoribus oblucentibus, edebat: ut ad fremitus concitatarum concionum, patientia duratis auribus in actionibus uteretur. Fertur quoq; ore insertis calculis multum ac diu loqui solitus, quo vacuum promptius esset & solutius. Præliatus est cum rerum natura, & quidem victor abiit, malignitatem ejus pertinacissimo animi robore superando. Itaq; alterum Demosthenem mater, alterum industria enixa est. Sed quid sentiam de Isocrate, qui nobilissimum librum, cui nomen inscribitur [παυθιωαῖκος] quartum & octogesimum annum agens, ita ut ipse significat, composuit, opus ardoris spiritus plenum? Hi summi philosophi, et si magno studio, labore & cura artes didicerint: tamen nihil de vera essentia Dei & voluntate sciebant, sed vanam tantum gloriam studijs literarum venabantur. Nos autem, quibus Euangeliū ex arcano consilio divinitatis per filium prolatum innotuit, & rectius de literis judicare possumus, & diligentius eas excolemus, ubi cognoverimus, earum cognitionem, & honestam esse & necessariam & utilem. Nemo enim potest jucundius & luculentius vitae genus ingredi necq; curam suaviorem suscipere, quam si studijs artium bonarum se tradat informandum, cum quæ Musæ pollicentur, abunde præstant. Sub initium renascentis Evangelij docti viri, quorum

quorum opera Deus v̄sus est in purganda doctrina cœlesti, multum adjuti sunt cognitione artium. Adversariorum enim falsa dogmata verè refutarunt, quibus resisti non potuit nisi doctrina, & quia necessarium est & utile in ecclesia docendi munus, necessaria est etiam artium & linguarum cognitio & scientia. Nam quodque parum novit, nemo docere potest. Multi tamen nescio, qua ratione & modo conantur populum docere, quod ipsi ignorant. Hæc autem inscitia literarum multas in religione tenebras parit, unde vel superstitiones existant necesse est, vel ethnicus Dei contemptus, quæ neque salutaria sunt animæ, tum verò istiusmodi, quæ sola tristem corporibus animisque nostris adferant perniciem. Studiosa igitur juventus ijs bonis se instruat, quibus salus animæ custoditur & servatur integra. Nullis autem melioribus bonis ad hanc rem necessarijs instruet, quam si liberales & ingenuas artes diligenter discat, penitusque cognoscat. Atque si quis bonis literis se dederit excolendum, passusque fuerit ab ijs se sanari, fit interdum, ut naturæ suæ pravitatem, si quæ sit, mitiget & sensim deiijciat, & vitijs animæ literarum studijs medeatnr aut etiam generosæ mentis in doctrina magis confirmet & corroboret. Cùm multa in conventu vitia colle-gisset in Socratem Zopyrus, qui se naturam cuiuscq; ex forma perspicere profitebatur, derisus est à cæteris, qui illa in Socrate non agnoscerent. Ab ipso autem Socrate sublevatus est, cum sibi illa signa inesse, sed ratione à se dejecta diceret. Siquidem ab humanitate nomen acceperunt artes, quod reddant mentes virtutibus omnibus instructas & ornatas. Hinc eleganter Ovidius:

Adde quod ingenuas didicisse fideliter artes  
Emollit mores, nec finit esse feros.

Et certe artes non modò ad has res conducunt, sed etiam, quod maximum est, ad communem tranquillitatem, & ad conservandas politias, singulares utilitates habent. Plato tum demum beatas Respub: futuras putabat, cùm aut sapientes regerent, aut reges sapere cœpissent. Feliciter enim omnia succedunt in Republ:, quam gubernant viri imbuti præceptis philosophiæ. Hæc enim philosophia, ut Cicero

lib:



lib. v. Tuscul: quæst: inquit, est vitæ dux, virtutis indagatrix,  
vitiorum expultrix, sine qua hominum vita nihil poterit esse.  
Peperit enim urbes, dissipatos homines in societatem vitæ  
convocavit, eosq; inter se primò domicilijs, deinde conju-  
gijs, tum literarum & vocum communione junxit, illa inven-  
trix legum, illa morum & disciplinæ magistra &c. Pro com-  
parandis autem & augendis rei familiaris copijs melius nun-  
quam quisquam laboraverit, quam si vegeto juventutis flore  
doctrinæ studijs ejusmodi paraverit opes, quæ nunquam pe-  
reant. Apelles cum à Piratis omnibus suis bonis spoliare-  
tur, si non calluisset aliquam artem, quam professus esset,  
certè damnis istis non facile restitisset. Nec non sæpe sa-  
piens ille Bias laudatur, qui enumeratur inter septem sapi-  
entes, cuius cum patriam Prienen cepisset hostis, cæteriq; ita  
fugerent, ut multa de suis rebus secum asportarent: cum esset  
admonitus à quodam, ut idem facheret, Ego verò, inquit, fa-  
cio. Nam omnia mea mecum porto. Ille hæc ludibria for-  
tunæ ne sua quidem putavit, quæ alij appellant etiam ho-  
na. Nam neq; temporum sunt, neq; ætatum, neq; locorum.  
Senes solent conqueri, se sibi malè in juventute prospexit, quod artes non didicerint. Carendo enim magis quam fru-  
endo intelligimus, quid quæq; res boni habeat. Ne cui igi-  
tur necesse sit ita conqueri, videat quomodo in juventute sibi  
viaticum senectutis comparet, quod etsi est difficile: tamen  
facile fiet, si lubens fecerit, Nam magna profectus est, velle  
serio & ex animo proficere: Nec ulla est molestia tanta, quæ  
non levior fiat, si quis eam sponte ferat. Facit autem summa  
dignitas, summus splendor, summa majestas harum artium,  
quæ sibi quisq; proposita habebit, ut studiosus enitatur supe-  
rare difficultates, quæ se prima fronte offerunt. Perniciosa  
autem in primis est vana scientiæ persuasio, quæ sapissimè  
fallit ambitiosos & imprudentes adolescentes, qui dum alios  
audiunt, sibi videntur multa præclara tenere, quæ tamen cum  
necessarius eorum usus est, plerunq; turpiter ignorant. Tam-  
diu igitur discendum, ut Seneca inquit, quam diu nescias  
aut, si proverbio credimus, per totam vitam. Maximè aut  
in docendo & discendo facilitaten adjuyat, si quis ordine &  
certa



*certa methodo artes tractet & non temerè per eas vagetur.*  
Ordo enim & certa methodus memoriarum maximè lumen affe-  
runt. Neq; etiam inferiora quis negligat & continuò transeat  
ad superiora, sed discendis inferioribus firmum initiò ponat  
fundamentum, postea superstruat necessaria, quæ firmiter  
coagmentata totum eruditionis ædificium reddant stabili-  
le ac diuturnum. Præclarè scripsit Xenophon. Nihil  
ordine melius est hominibus aut utilius, qui si non fuerit in  
agendis rebus adhibitus, confusio existat necesse est. Nisi  
igitur accesserit ordo, doctrina profectò non dissimilis erit  
corpori, mentis vacuo. Ut enim corpus inutile pondus est,  
nisi mente regatur: Sic doctrinæ nulla vis esse poterit, citra  
ordinis beneficium. Ordine autem cognito Deus quoq; assi-  
duè invocandus est, vt nostrum ingenium perlustret ad has  
ingenuas artes discendas. Qnod si ea Deum invocandi non  
cessaverit assiduitas, experiemur profectò re ipsa verè dixisse  
Isocratem: Artium radices quidem amaras esse, fructus vero  
dulces. Si quid ergo mandato divino, si quid naturæ desi-  
derijs, si quid artium majestati, si quid literarum utili-  
tati damus, pro viribus elaboremus, vt quæ sunt in artibus  
amplissima, studiose faciamus. Nam si quem honesti ratio  
movet, quid quæso bonis literis & eruditione honestius? quid  
ijs utilius, quæ nos à stupidis & brutis hominibus secernunt?  
quid denique suavius, quam perpetuo cum Musis versari, ea-  
rumq; casto contubernio perfui? certe si totum terrarum  
orbem perlustraremus, liberalibus artibus neq; honestius  
neq; utilius neq; suavius aliquid inveniremus. Quapropter  
neminem credo tanta esse inhumanitate, vt nolit has libera-  
les artes discere, inq; eas omnem curam & cogitationem  
collocare. Oro autem patrem Domini nostri Iesu Christi, vt  
nobis impertiat ingenij docilitatem, discendi studium  
& memoriæ tenacitatem, vt bonis disciplinis eru-  
diri & sacrarum literarum mysteria, quæ sui  
numinis instinctu nobis tradidit

Ecclesia catholica, sana  
mente rimari que-  
amus.

FINIS.






65689

AB : 65 689



5b



**Farbkarte #13**

B.I.G.



ORATIO  
PRO DILIGEN<sub>S</sub>  
ter excolendis artium  
studijs:

SCRIPTA  
A  
IOANNE ZANGER  
Juniore Brunovicensi.



ANNO  
cl. l. LXXV.

